

tensivæ, et multiplicatæ; quasi unum crescat super aliud, et numerus ille aggregativus sit, et compositivus alicujus totius ex partibus. Quare cum filiatio advenit paternitati, fit pluralitas relationum, et nihil crescit; et adveniente Spiritu sancto nihil majus est, quia totum quod perfectionis, et esse est in uno, est in duobus aut tribus, quia in perfectione identificantur. Et hoc est esse numerum in divinis, sine illis imperfectionibus, nec mensurari multitudinem per unum, quia tam simplex, et inconfusum est unum quam plures, et plures quam unum, cum idem esse habeant, et perfectionem. Hæc autem additio, et augmentatio in numero, et exerescentia super unitates est solum in numero dividente perfectiones, et esse rerum numeratarum.

XII. Quæ doctrina est expressa S. Thomæ, qui communiter hunc numerum sic ponit distinctum, et diversitatem realem facientem, quod nec additionem, nec compositionem facit, nec majus aut minus (quod ad multiplicationem perfectionis pertinet) sed solum pluralitatem, quæ est realitatum multiplicatio. Videri potest quæst. ix de potentia, art. v ad xv, ubi ponens argumentum, quod non potest dari pluralitas rerum sine compositione, quod repugnat divinæ simplicitati, respondet quod: « Pluralitas rerum in divinis est pluralitas relationum subsistentium oppositarum, ex quo non sequitur compositio in divinis. Nam relatio comparata ad essentiam divinam, non differt re, sed ratione solum, unde non facit compositionem cum ipsa, sicut nec bonitas, nec aliud essentialium attributorum. Sed per comparisonem ad oppositam relationem est pluralitas rerum, non tamen compositio, quia relationes oppositæ in quantum hujusmodi ab invicem distinguuntur. Compositio

vero non est ex aliquibus distinctis in quantum distincta sunt. » Et hoc recte dicitur, quia compositio fit quidem ex diversis, sed ut unibilia, non præcise ut distincta. Et in I, dist. xxiv, q. 1, art. II: « Sciendum est, inquit, quod in divinis non est numerus simplex, qui est per divisionem essentiæ vel quantitatis; sed est numerus quidam, scilicet numerus relationum. » Quod luculentius exprimit in I ad Annibaldum, dist. xxiv, q. 1, art. I: « Quædam, inquit, sunt quæ dividuntur simpliciter, quia secundum materiam, et quantitatem, sive secundum essentiam, et formam. Et ideo in istis est numerus simpliciter. Quædam autem sunt quæ secundum quid dividuntur, quia secundum proprietates accidentales, vel secundum proprietates absolutas, sicut socrates albus dicitur alius a se nigro: vel secundum relativas, sicut socrates dexter est alius a se sinistro, et in his est numerus secundum quid. Sic ergo numerus simpliciter importat separationem, et distinctionem, sed numerus secundum quid importat solum distinctionem. Cum ergo in divinis sit Personarum distinctio per proprietates relativas, et non separatio secundum essentiam, in divinis est numerus Personarum secundum quid, non numerus simpliciter, scilicet essentialium, et quidditatum. » Idem sumitur ex ipso D. Thoma in hac quæstione xxx, art. I ad iv, licet ibi numerum simplicem, et absolutumumat pro numero numerante, qui est in intellectu, numerum numeratum pro eo qui est in rebus, et in eis facit aggregationem, et compositionem, et majus aut minus. Et sic etiam patres, qui aliquando affirmant dari numerum in Deo, loquuntur de numero quoad distinctionem relationum præcise. Qui aliquando negant numerum, intelligunt cum ea imperfectione, et

compositione, quæ est in creatis.

XIII. Secunda regula: Nomina alienum, diversum, extraneum, differens, alterum, et similia, non sunt in proprietate attribuenda Personis. Ita ex D. Thoma in quæstione xxxi, art. II.

Ratio est, quia ista significant aliquid diversum in natura. Quare non possunt ista nomina applicari Personis, nisi addatur restrictio trahens ad relationes, ut si dicatur: Personæ sunt differentes, aut diversæ notionaliter, seu relative, una est extranea alteri relative, non tamen si absolute ponantur, quia illa nomina absolute prolata indicant distinctionem cum aliqua distantia, et inconvenientia in esse, vel in natura, sicut ly alter, vel alterum proprie significat distinctionem in qualitate, quæ alterum, seu alteratum facere solet. Et sic ne detur errandi occasio, caute illis utendum est, et si quando inveniuntur in auctoribus probatis, in bono sensu explicanda sunt. Proprie vero Personæ dicendæ sunt distinctæ vel discretæ, quod nihil de naturæ diversitate designat.

XIV. Tertia regula circa nomina significantia multitudinem. Nomen triplex, aut multiplex non ponitur absolute in divinis, sed cum addito, scilicet adhibendo terminum relativum aut notionalem. Hoc tamen nomen trinus, et trinitas absolute, et sine aliqua restrictione dicitur. Sumitur hæc regula ex D. Thoma hic q. xxxi, a. I ad III, et a. II, idque docet ex Hilario.

Et ratio est, quia ly multiplex aut triplex aut duplex opponuntur simplicitati, quod enim est simplex non est duplex aut multiplex, et ita ista nomina aliquid compositionis important, vel, ut dicit S. Thomas inæqualitatem proportionis; affirmare autem de Deo aliquid quod opponitur simplicitati, vel inducit inæ-

qualitatem, error est. At vero hoc nomen trinus seu trinitas dicit absolute numerum trium, sine additione inæqualitatis, vel diminutione simplicitatis, et sic absolute Deo tribuitur, quatenus Deus subsistit in tribus Personis, non tamen quælibet Persona, v. g. Pater, aut Filius dicitur trinus, quia trinitas, ut inquit S. Thomas hic q. xxxi, art. I ad 4, secundum proprietatem vocabuli magis significat numerum Personarum unius essentiæ. Et propter hoc non possumus dicere quod Pater est trinitas. Et hæc differentia inter ly triplex, et ly trinus vel trinitas sumitur ex Augustino, VI de Trinitate, c. VII, ubi inquit: « Nec quoniam Trinitas est, triplex putandus est, alioquin minor erit Pater solus aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius. » Et capite VIII, ob eandem rationem inquit, quod: « Trinitas potius est, quam triplex. » Et lib. XV, c. III: « Etiam in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, et non Deus triplex, sed Trinitas. » Et Concilium Toletanum II, in confessione fidei: « Hæc, inquit, est Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed Trinitas, et dici, et credi debet. » Aliquando tamen nomine duplicis utitur D. Thomas ut cum in quæstione X de potentia, art. II, concedit esse duplicem emanationem in Deo, et patres aliquando eodem termino utuntur, aut triplicem Personam appellant, sumendo triplex vel duplex, pro simplici nomine duorum vel trium, idque applicant non ipsi Deo immediate asserendo Deum esse triplicem, sicut dicitur trinus, sed Personis seu subsistentiis relativis.

XV. Quarta regula: Termini significantes exclusionem, ut ly solus, ly tantum, et similes, possunt dici de terminis essentialibus in Deo syncategorematicæ, non categorematice. De personalibus vero non

possunt dici, si *ly* solus ponatur ex parte subjecti, et ex parte prædicati aliquid commune. Tunc *ly* solus dicitur categorematicè quando ponitur ex parte prædicati ut nomen, et importat solitudinem, ut dicendo: Pater est solus, Deus est solus, id est, sine comitatu. Syncategorematicè est cum ponitur a parte subjecti, per modum adverbii, et significat aliquid alicui soli convenire, ut cum dicitur: Solus Deus est incomprehensibilis. Unde est falsum dicere: Pater est solus: significat enim esse solitarium, nec habere consortium. Et Christus Dominus dixit Joan. viii: *Quia solus non sum*. Et si prædicantur termini essentialia de Personis, non potest poni *ly* solus ex parte subjecti syncategorematicè, ut dicendo: Solus Pater est Deus, quia facit sensum nullus alius est Deus, quod est falsum. Et hoc præcipue intendit S. Thomas q. xxxi,

art. iv, ut patet ex initio articuli. Eadem ratione est falsa propositio in qua aliquid notionale commune prædicatur de Persona, ponendo *ly* solus ex parte subjecti, ut si dicas: Solus Pater spirat, est falsa, quia etiam Filius spirat. Secus si prædicetur aliquid notionale proprium, ut: Solus Pater generat. Quomodo vero intelligatur illud Joan. xvii: *Ut cognoscant te solum Deum verum*, diximus disputatione præcedenti, art. iii.

De hoc nomine singularis, videtur sine periculo posse de Deo dici, quia ex communi usu solum significat individuationem, quæ etiam naturæ convenit. Si tamen *ly* singularis, *ly* unicus excluderet multitudinem Personarum, negandum est, quo pacto multi patres dicunt in Deo nec esse singularitatem, nec diversitatem.

QUÆSTIO XXXIII.

DE PERSONA PATRIS.

SUMMA LITTERÆ.

Ab hæc quæstione incipit S. Thomas de Personis in speciali. Et primo, de Persona Patris, de qua tria ostendit, scilicet quod sit principium, quod sit Pater, quod sit ingenitus.

In articulo primo ostendit quod Pater sit principium, quia ab eo aliæ Personæ procedunt; non tamen habet rationem causæ, quia non habet diversitatem substantiæ, nec aliæ Personæ ad ipso dependentiam.

In articulo secundo ostendit proprium esse primæ Personæ quod sit Pater, quia paternitate distinguitur ab aliis, cum solus ipse generet. Nihil autem tam proprium alicujus, quam id quo ab aliis distinguitur.

In articulo tertio ostendit nomen paternitatis principaliter et prius dici de Patre secundum quod dicitur relative ad Personam Filii, quam secundum quod respicit creaturas, respectu quarum dicitur auctor et Pater. Propriissime enim dicitur Pater respectu termini geniti, et Personæ quæ est Filius simpliciter.

In articulo quarto ostendit quod esse ingenitum est proprium Patri, secundum quod *ly* ingenitum dicit negationem cujuscumque processionis ab alio, ita quod designatur esse principium sine principio notionaliter, non secundum quod significat esse increatum, quia sic essentialiter dicitur.

QUÆSTIO XXXIV ET XXXV.

In his duabus quæstionibus agit de his quæ pertinent ad secundam Personam Filii, nempe de ratione Verbi in quæstione xxxiv, et de ratione imaginis in xxxv.

Circa rationem Verbi inquit in articulo primo, an Verbum dicatur in divinis personaliter seu relative, an essentialiter seu absolute. Et respondet quod Verbum proprie sumptum, scilicet pro conceptu cordis ut dictio dicitur relative ad dicentem; et sic personaliter et non essentialiter se habet, intelligere vero essentialiter dicitur.

In articulo secundo ostendit quod nomen Verbi est proprium Filii in divinis, quia Verbum proprie, et personaliter dictum est per emanationem intellectus, Filius autem in tantum est Filius, in quantum generatur et emanat per intellectum.

In articulo tertio ostendit Verbum sic respicere Patrem ut dicentem respectu reali, quod est expressivum omnium quæ Deus intelligit, etiam